



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evsebivs || De Euangelica pr[a]eparatione

Eusebius <Caesariensis>

[Augsburg], 1522

VD16 E 4299

Qui sunt principes dæmonu[m] secundum Porphyrium Cap. xij

urn:nbn:de:hbz:466:1-34477

Qui sunt principes demonum secundum Porphyrium
CAPVT XII.

Idem declarat malignorū demonū principes Serapin & Proserpinam esse, diuina ꝛo scriptura Beelzebub prauitatis principem appellat. Sunt autē uerba eius hæc in libro Responsorū cōscripta. Malignos omēs dæmones nō temere Serapidi subiicimus. Non enim factorum eius symbolis solummodo persuasi sumus, uerum etiam, quia quæcunq; alliciunt & quæcunq; repellunt, Plutoni attribuunt, ut in primo libro mōstrauimus. Serapis autem apud Aegyptios is deus est, qui apud grecos Pluto nuncupatur, idcirco prauis dæmonibus iste princeps est. Nam iste symbola quoq; dedit hominibus, quibus dæmones expellunt, iste supplices docuit, quomodo brutorum assumpta figura, dæmones hominibus insiliunt. Vnde apud Aegyptios & ceteros omnes, q̄ prudentes in agendis cērimonijs deorum esse uidentur, corrigiæ in templis irumpuntur, & animalia ante inuocationē deorum expulsa, multitudine cæduntur, ita domo ceteris rebus uacua, & munda spiritu, & sanguine animalium deus inuocatur. Sunt autem corpora hominum istis plena, & maxime illorum, qui delicatis cibus uiuunt. Comedētibus em̄ nobis adueniunt, & inhaerent corpori, idcirco ieiunium & castitas maxime laudantur, non quia principaliter deus bonus istis placet, sed ut recedant illi, qui sanguine & immundicia gaudētes, ut his fruantur, in utentium corpora ingrediuntur. Certum enim est, q̄ uehemens caducarum rerum cupiditas, & appetitiui spiritus impetus non aliunde, quam ex præsentia istorum maxime creseit. Quare cū appetitio nimium inflammata est, & uoluptatis ardor animum ita exagitat, ut omnis cogitatio ad exteriora uagetur, tunc huiusmodi dæmonum præsentium esse cognoscas, quorum præsentia facit, ut appetitiuus spiritus in corpore nostro multiplicetur. Et paulo post. Nunq̄d ait isti sunt illi dæmones, quorum princeps Serapis est: Symbolum em̄ etiā horum triceps canis est, ille scilicet qui in aqua, terra, & aere tribus his elementis uersatur perniciosissimus dæmon. Is em̄ ceteros dæmones tanq̄ princeps expellit. Sed Proserpina etiam dæmonum princeps est, quia in tribus his elementis plurimum potest. Et post pauca. Vnum inquit Proserpinæ responsum si apposuero,

k uolumē

uolumen istud concludam.

Naturæ triplicis ego sum lucina puella.
 Taurea itemq; triceps missæ cælo aurea phœbe
 Quam multæ uariant formæq; trinacq; signa
 Quæ terna & simulachra fero terræ, aeris, ignis,
 Quippe meis atris terrarum est cura molossis.

EVSEBII PAMPHILI LIBER QUINTVS.

Quod potentia demonum per aduentum Saluatoris est
 adiecta. CAPVT I.



Einde, Quinam sint canes atrî clare interpretatur,
 dicens perniciosos dæmones sic appellari. Verum
 & si fatisa superioribus pateat, nō bonos, sed perni-
 ciosos dæmones, quasi deos a gentilibus cultos, nō
 tamen erit ab re, quoniam multi ad huc imbecilli/
 tate quadā animi seducuntur, religionem patrum
 laudantes, cum latius eandem rem ostendere, a qua non ab alio q̄ a
 prædicatione Christi liberati sumus. Ipsi enim fatentur temporibus
 Saluatoris nostri oracula sua cessasse, & mortem nonnullorum dæ/
 monum accidisse, & ad hæc, ut in superioribus patuit, post euange/
 licam doctrinam dijs offerri homines improbatum esse. Adijciendū
 autem est non solum superstitionē dæmonum ruisse, uerum
 etiam multos atq; uarios principatus cessasse. Fere enim per omnes
 ciuitates & castella, reges & tyranni antiquitus erant, ita ut nō pau-
 ciores principatus essent, q̄ ciuitates, facileq; a dæmonibus impulsi,
 alteri in alteros insurgabant. Sic depopulationes regionum, obsidi/
 ones urbium, & seruitus maxima uigebat in morem iumentorum
 captiuis seruiētibus. Vnde facile consyderatū est, q̄ ingens ante Sal-
 uatoris nostri tempora humanum genus calamitas præmeret. Que
 omnia diligēter in unum collecta, si non ante cessasse consyderant.
 nec per successionem unum post alterum defecisse, sed omnia simul
 quasi terremotu facto, post Domini nostri resurrectionē ruerunt,
 quomodo nō oportebit euangelicæ ac ueræ salutaris doctrinæ my-
 sterium admirari, cuius prædicatione factum est, ut creatori & soli
 uero deo per uniuersum orbem ædes constitutę sint, ubi tam uetus
 q̄ noua